Aphorismi Pædagogici

quos,

Adjuvante Deo,

Consentiente Max. Venerando Cons. Eccles. Lundensi

pro munere Rectoris obtinendo

modeste proponit

Mag. CAROLUS OSCAR SYLVAN,

Coll. Scholæ Malmogiensis.

Respondente

CAROLO ALEXANDRO v. SCHANTZ,

Nobili,

in audit. Majori die XXIV Martii 1840.

hor. a. m. sol.

LUNDÆ,

typis excudit CAROLUS FR. BERLING,

Universitatis Typographus,

Aphorismus I.

Omnis educatio ad id tendit, ut ingenii culturam una cum honestate morum promoveat. Quæ quidem valet sententia sive ipsam animi humani naturam sive rerum discendarum vim et gravitatem respexeris. Quemadmodum enim semen, quod terræ creditur, ex semetipso evolvi nequit, nisi incitamenta adhibeantur externa, quæ vim ipsius internam eliciant, et nutrimenta ei afferant, sic etiam animus humanus jam inde ab initio tardus suique impos ope indiget externa, quæ vires ipsius et excitare et excitatas fovere et alere possit. Quæ cum ita sint, tota ex copia eorum, quæcunque puerulo sunt discenda, unum est indagandum, quod pari modo et facultati cognoscendi et voluntati consulat. Omnibus igitur disciplinis rite examinatis, earumque ad animi facultates exercendas et firmandas vi accuratius perspecta, patet doctrinam Religionis Christianæ duplici huic eruditionis proposito et culturæ et honestati morum optime satisfacere, ideoque illam omnium rerum, quarum in scholis cum publicis tum privatis traditur cognitio, primum tenere locum. Quare institutionem hujus doctrinæ jam a teneris inde annis puerulo summa cum diligentia esse tradendam contendimus, id quod etiam ex ipsa perspicitur animi natura. Etenim si de facultatibus variis animi quæstio instituatur, vis quædam divina menti humanæ alte insita, quam sensum vel ideam Religionis vocamus, nobis occurrit. Hanc excitare et ad optima quæque dirigere primæ est institutionis, quæ, ut omnia bene succedant, jam in domo parentum et schola populari inchoanda est. Hac enim omissa puerulum fastidio et pæne contemtu rerum divinarum imbutum ad meliora deflectere difficillimum erit ei, cui cura Religionis instituendæ seriori tempore commissa fuerit. Dum vires animi, puero insitæ, maturescunt, præceptori cavendum est, ne quædam præcipue, ex. gr. memoria, quod plerumque in scholis nostris accidit, cum detrimento ceterarum exerceatur, sed ei curandum est, ut ingenium puerile

facultasque judicandi quoque excolatur et excolendo firmetur. In prima igitur institutione Religionis videat doctor, ut discipuli primum pensum memoriter ediscendum ei clare et intente recitent, deinde animos eorum ad vim et gravitatem rerum discendarum explicando et disserendo attentos faciat, nec prius ullam rem relinquat, quam iis satis explicata et exposita fuerit. Haud vero satis est præcepta Religionis tradi, sed usu et exercitatione quoque firmari debent. Multi enim, doctrinæ Religionis peritissimi, tota sentiendi et agend iratione ab ea discedunt. Præceptori igitur maximæ curæ sit, ut discipuli pias animi exercitationes omniaque ad vitam sanctam pertinentia accurate observent. Parum vero efficiunt hæc omnia, nisi totus vitæ habitus institutoris ita compositus fuerit, ut suo exemplo non minus quam præceptis doceat. Teste enim experientia formam ab iis, quibuscum vivunt, tam externorum morum quam sensuum et affectuum mutuantur pueri, priusquam quid rectum quidue secus sit, ipsi accuratius investigare cœperint.

Aphorismus II.

Proxime autem et secundum institutionem doctrinæ Religionis studium linguarum et præsertim earum, quæ classicæ vocantur, ad puerile informandum ingenium maximam habet commendationem. Plerumque in scholis nostris a lingua vernacula prima proficiscitur institutio, quippe quæ et facillima sit perceptu et animos juveniles maxime delectet, cum plurimæ voces et locutiones quotidiano sermone puero cognitæ sint. Vernaculæ igitur linguæ Grammatica percepta, transgressus ad studium linguarum peregrinarum non tam difficilis atque ingratus videtur, quam si cujuslibet earum faciendum sit initium. Quondam vero a Grammatica linguæ Romanæ discenda profecta est institutio linguarum, quoniam hæc ipsa lingua severis accuratisque formis et regulis tam constricta et absoluta videbatur, ut puer hanc percallere deberet, si solidam linguarum cognitionem accipere vellet. Utraque methodus multa habet commoda. Mihi vero methodus antiqua sane videtur optima et ad id, quod requiritur, aptissima. Quæ quidem mea sententia omnino in hoc nititur, quod Grammatica linguæ Romanæ abstractionem quandam peractam ipsis formis ante oculos ponat, ideoque magis quam Grammatice linguæ vernaculæ, in qua formæ omnino vagum quoddam et indefinitum habent, facultatem intelligendi ac judicandi in discipulis exerceat atque corroboret. Prætereaque, quod nemo nescit, terminologia Grammatices linguarum ceterarum ex lingua Romana hausta est, quo fiet, ut puero hujus linguæ plane rudi difficile sit cavere, ne terminos technicos inter se misceat atque confundat. Ipsæ quidem definitiones harum formularum ei multo cum labore inculcari possunt, sed scientia earum haudquaquam tam solida et clara erit, quam cum discipulus jam a teneris inde annis Gram-

maticam linguæ Romanæ perceperit. Frequens est et experientia quotidiana comprobata observatio, eos, qui in studio literarum Romanarum versati sunt, iis, qui tantum linguis hodiernis vel diutius vacaverunt, et etymologica vocum analysi et constructionis syntacticæ usu longe antecellere. Qvamobrem studium Grammatices omnium discipulorum, sive scholam formalem sive realem eligant, a lingua Romana incipiendum et hoc fundamento cognitionem linguarum ceterarum esse superstruendam contendimus. Sunt quidem, qui putent, tempus in Grammatica latina collocatum iis, qui ad linguas classicas se non applicare vellent, frustra et sine successu fuisse consumtum, sed rem ita se non habere apparet; nam ex lingua Romana, quasi ex fonte rivuli, omnes australis Europæ linguæ emanaverunt. Tantum igitur abest, ut noceat illa cognitio ipso ex fonte hausta, ut potius magna sane, ad illas percipiendas, afferat adminicula. Studium linguæ vernaculæ, me judice, ad ætatem puerili maturiorem differri debet, quippe cum puerile ingenium, quibus in rebus a ceteris sua lingua discrepet, nondum recte concipere possit.

Aphorismus III.

Animum puerilem flexionibus Grammaticis fatigatum ad relaxandum et reficiendum historia adest, ut optimum et præstantissimum adjumentum. Heic patet campus, in quo libere vagari possit phantasia puerilis et ubi omnes labores molestiæque antea toleratæ oblivioni tradantur. Ut enim viator defessus, qui asperos montes vastosque campos transiit, adspectu amœnæ gratæque regionis maximo cumulatur gaudio, sic quoque studio Grammatices sterili soluta, in viam variam floribusque sparsam historiæ excurrit mens puerilis. Cum vero hoc loco de historia mentionem facimus, compendia, nomina annosque tantum continentia, haudquaquam spectamus, sed me judice ab historia primum Biblica, deinde ea, quæ veteris Islandorum narrationis refert formam, pueruło inchoanda est institutio. Ideoque narrationes historicas, ex. gr. illas a cel. Fryxell editas, puerili ætati aptissimas esse putamus. Jure enim mihi contendere posse videor, neminem rerum gestarum patriæ scriptorum tanto successu res historicas accommodate ad animos juveniles adornasse, quanto noster maximis laudibus cumulatus civis, quem supra diximus. Plures nostræ ætatis historicorum ad Thucydidem vel Tacitum, quam ad Herodotum, parentem historiæ summo jure appellatum, accedunt; nec mirum; nam ut lingua moresque gentis stabiliorem ac firmiorem indolem acceperunt, obmutescit illa vox juvenilis, qua auctores ejus antiqui locuti sunt. Ad propositum vero ut redeamus, in historia tradenda, mihi optima videtur methodus, qua discipuli, penso quodam recitato, res primarias narrationis propositæ breviter suis verbis referre jubentur. Plerumque et sine dubio naturæ maxime convenienter ab annalibus

patriæ incipitur prima institutio historica; attamen studium historiæ universalis non longius differri debet, nam ad auctores classicos rite interpretandos haud parum adjuvat hujus cognitio. Sed ad studium historiæ et sublevandum et illustrandum quid aptius, quid accommodatius est, quam Geographia? Qua in re discenda puero, qui in illa disciplina longius processerit, mappas Geographicas, quæ vacuæ (blindkartor) appellantur, ad memoriam exercendam maxime commendamus. Omnino in scholis plerisque studium Geographiæ antiquorum obsoletum est, quamquam, mea quidem sententia, cuique ad eruditionem classicam contendenti est valde necessarium.

Aphorismus IV.

Studium æque accommodatum ad memoriam exercendam et ad vim intelligendi excolendam animumque puerilem delectandum est pars Matheseos, quam Arithmeticen vocant. Quæ tamen disciplina in plerisque scholis nostris jacet. Putatur enim tam parvi momenti, ut haud multum temporis ad eam discendam sit adhibenda. Pueri in hac arte nonnullas quidem horas hebdomadis versantur, propterea quod lex scholastica ita jubet. Quomodo numeri tractandi sint, sed non quam ob caussam ita nec aliter fiat, præcepta traduntur. Quæ quidem scientia ita tractata semper erit mortua omnique vi atque studio carebit, quod in quacunque disciplina necessario adsit, si iis, qui in ea versantur, utilis erit ac fructuosa. Nec idoneum esse putamus, ut in arte arithmetica tradenda librum semper in consilium adhibeat præceptor et ex éo exempla excerpat. Hæc enim ex tempore componenda sunt, iisque absolutis, ne nimium temporis ad veram rationem probandam consumat doctor, discipuli inversa methodo numerorum tractandorum eam ipsi exquirere debent. Quæ quidem ratio instituendi majori studio ac cupiditate sciendi animum puerilem implet, quam si ope libri arithmetices examinetur, an exemplum datum rectum sit necne, prætereaque usum rerum, quæ antea sunt perceptæ, præbet. Priusquam vero quattuor species numerorum et integrorum et fractorum probe didicerint pueri, in applicatione earum haud tradenda est institutio. In Arithmetica subtiliori valde prosunt fractiones decimales, quare etiam hæ mature sunt discendæ, potissimumque institutione numerorum fractorum vulgarium absoluta, quo melius infigantur memoriæ, quæ semper in teneris annis tenacior est, quam in provectiori ætate. A studio etiam Algebraico maturius ordiendum putamus, quam plerumque adhuc fieri solet. Quæ quidem discendi materia tam arctissime cum Arithmetica cohæret, ut, primis elementis hujus perceptis, incipienda sit. Utraque quóque ad disciplinam Geometricam pertinet, quocirca accurata et solida cognitio illarum artium est necessaria, quo facilius institutionem Geometriæ in suum usum convertant discipuli.

Aphorismus V.

Disciplinis, quæ ad primam institutionem imprimis pertinent, quæque eo spectant, ut quæcunque a natura discipulis sunt insitæ animi facultates, easdem omnes et quidem summo cum concentu exerceant et excolant, jam perlustratis, de literis, præcipue classicis, quæ in schola superiori vigent, aliquid breviter afferre libet. Literas classicas in scholis, quæ dicuntur, doctis eximium tenere locum, quis est, qui neget. Cum enim formæ earum constantes et absolutæ, tum copia sententiarum generumque dicendi maxime elegantium, quæ exhibent, hanc dignitatem summo jure illis vindicant. Primum igitur, quod ad linguam Romanam attinet, puero, qui cognitionem solidam Grammatices perceperit, apto libro elementario haud neglecto, ab aliquo auctorum, quorum scripta sunt faciliora intellectu, ex. gr. Cornelii Nepotis de vita excellentium Imperatorum, ordiendum est, deinde ad epistolas faciliores Ciceronis transeundum, in quibus interpretandis provideat doctor, ut in omnibus locutionibus conformationibusque verborum, quæ in iis occurrunt, bene se exerceant discipuli, postremo Ciceronis officia et liber historicus ex. gr. Livii Patavini, carmina quoque cujusdam poëtarum, ex. gr. Virgilii, tradenda sunt. Ut vero scripta Ciceronis puero cognita sunt, usus scribendi incipiendus et sic deinceps per totam scholam præcipue est colendus. — Lingua, quæ majorem copiam formarum, quam Romana, proponit, omniumque præterea linguarum et emortuarum et recentiorum maxime absoluta, est illa, qua Græci antiqui locuti sunt. Literaturam quoque illustrissimam hujus linguæ habemus; præclarissimi enim poëtarum, oratorum et historicorum antiquitatis in eadem sua ingenii monumenta posteritati reliquerunt. Cujus quidem linguæ puero haud tamen prius faciendum est initium, quam in literis Romanis aliquanto longius processerit. Ope enim librorum bonorum, quos de Græca lingua conscriptos habemus, prima ejus elementa facilia sunt perceptu. His igitur absolutis, opera Xenophontis, quæ ad animum puerilem delectandum maxime sunt accommodata, explicanda commendamus. Priusquam vero id, quod rationis Atticæ est proprium, bene perceptum fuerit, transgressus ad carmina Homeri interpretanda haud fiat. In omni interpretatione auctorum tum Romanorum tum Græcorum curet præceptor, ut discentes salva quidem verborum significatione, linguam peregrinam, quantum fieri possit, genio linguæ vernaculæ accommodate reddant. Linguam quoque utramque inter se comparari utile judicamus, nam hac ipsa comparatione ad vim et naturam linguarum facilius intuendam exercetur discipulus. Atque hæc in literis classicis legendis. — Cognitionem linguarum recentiorum, cuique ad eruditionem politiorem tendenti valde esse necessariam, quis est, quin sibi persuasum habeat. Quæ vero cum ita sint, et cum ad communes literas augendas, scholæ, quæ nominantur Apolo-

gistiæ, fundatæ sint, in quibus institutio harum quidem linguarum præcipue est tradenda, sane mihi mirum esse videtur, nullum tempus ad eas publice discendas in nostris scholis elementariis lege scholastica constitutum esse. Privatim quidem in plerisque scholis institutio earum traditur, hæc vero ipsa institutio in utramque partem, sive doctorem sive discipulos respexeris, magis arbitraria est et incertior, quam ut recte utilis sit et ad id, quod requiritur, apta. Nonnullas igitur horas hebdomadis in schola saltem superiori ad illas linguas publice tam legendas quam scribendas separari æquum putamus. Præsertim vero studium linguarum Germanicæ et Anglicæ, in quibus pleraque opera literaria, rerum cognitionem ingeniique sollertiam declarantia, edita sunt, haud parum commendamus, linguam Gallicam ceterasque alias ut taceamus.

Aphorismus VI.

Quemadmodum ad facultates animi puerilis exercendas atque excolendas spectat institutio, sic quoque ad mores formandos et corroborandos magnum affert adjumentum vera aptaqne disciplina scholastica. Utraque arctissime et nexu quasi sororio cohæret. Neque enim magis ubi severitas disciplinæ, quam ubi solida institutio neglecta est, vigere potest educatio puerorum. Major est prope opinionum dissensus, si quæritur, quomodo potestas, ad educationem necessaria, rite sit exercenda, quam de ipsa ratione instituendi. Quod nemini moveat admirationem. Heic enim est campus, ubi facultas habilitasque vera doctoris spectatur. Doctrina sola neutiquam est norma, ex qua vis præceptoris æstimanda sit. Cui quidem sufficit disciplinarum in schola tradendarum solida cognitio. Nobis vero rem accuratius intentiusque perspicientibus, disciplina scholastica duobus fundamentis, ordine et justitia, præcipue niti videtur. Schola brevi ambitu, ut ita dicam, formam exhibet civitatis. Ut in hac progressus vigorque omnium rerum in eo positus est, quod ii, qui cum imperio sunt, animos in eo intendant, ut omnes cives etiam infimi muneribus suis rite fungantur, sic firmitas scholæ externa nititur diligentia curaque, qua doctor prospicit, ut quæ dederit præcepta pueri accurate exseqvantur. Ut vero hunc ordinem rite servare queat, caveat magister ne præcepta ejus illudant, ne hodie mandata cras oblivioni tradita esse percipiant nec jam denegata alio tempore sibi concessa fore, sperare iis liceat. Qua quidem in re diligenter provideat is, qui educationi præesse debet, ne ullam pueris sui irridendi materiam præbeat. Ad hoc multa addi possent, quæ fines hujus opusculi excedunt. Ideoque ad alterum imperii, ad educationem necessarii, fundamentum jam pergimus. Hoc in eo versari diximus, quod institutor in aliis dirigendis justitiam colat. Ut in

civitate bene constituta reverentia amorque civium in eos, qui summam tenent rerum, justitia imperii continetur, sic quoque præceptori ad studium amoremque eorum, qui curæ suæ imperioque sunt commissi, eadem patet via. Jam vero ad justitiam recte exercendam videat doctor, ut castigationes admonitionesque noxio adjiciat, semperque naturæ et magnitudini culpæ accommodatas, nec minorem curam in eo ponat, ut cohortationes atque præmia nemini, nisi propter discendi studium indefessum morumque venustatem laude dignissimo, tribuantur. Prætereaque præceptori est observandum, ut cum alias tum præcipue temporibus institutioni destinatis gravitatem æquabilitatemque animi retineat, ita ut nec familiaritate nimia ad erudiendos descendat, nec conviciis exsecrationibusque eos insectetur, sed leniter et tranquillo cum animo errores emendet. Horis vacuis concedendum est pueris, ut ludis ceterisque animi relaxationibus, quæ ad vires corporis augendas pertinent, se delectent. Præceptoris quoque est providere, ut munditiem ament educandi, quod quidem ad ordinem conservandum haud parum adjuvat. Si ita officiis suis satisfecerit et scholam suam ordine et justitia fundaverit, læta conscientia muneris bene peracti donabitur et monumentum gratiæ in animis tum discipulorum, tum parentum aliorumque hominum, sibi ponet.